

D E F U N C T I

P. Simon Scherzl, Prov. Monacen., (1896-1959)
Initiator curae animarum modernae

Divus Thomas scribit « auctoritates » praecipua laude dignas esse, auctores scilicet et creatores, qui in conditionibus rerum difficillimis opera bona incipere audent. Talis initiator fuit P. Simon Scherzl, qui Monachii die 3 nov. a. 1959 obiit.

Natura illis ingenii facultatibus ornatus, quae ei magnam spem in saeculo promittebant, officialis militaris primi belli universalis emeritus, ad ianuam novitiatus C.SS.R. pulsavit (1919). Magna laude dignus est iam eo quod illo tempore non animi affectioni succubuit, quam condiscipulus eius quidam e bello reversus patefecit: « Navi iamiam periturae non me committam » (Ecclesiam et vitam religiosam in mente habebat!).

Ab exercitu dimissus, Simon Scherzl, per aliquod tempus militiae voluntarie adscriptus, contra Spartakistas dimicavit, sed brevi post in novitiatum C.SS.R. in collegium Gars admitti petiit, motus etiam grato animo, quod in Gallia occasione incursionis hostilis, suae turmae solus supervixerat. « Vita mea servata, vita mea secunda Domini esto! ». Neque tamen eruditio militiae humilis Christi difficultatibus caruit. Sed votis religiosis emissis, de vocatione nullum dubium superfuit. Sententia S. Alfonsi, illis temporibus accommodatissima: « Missio hominibus ecclesiae ab alienatis! » eum alliciebat. Hoc vitae eius integrae studium praedilectum fuit.

Hausmission (Missio domestica).

Ordinaria cura animarum per annos praeparatus P. Scherzl inter duo bella universalia missionarius excellentissimus evasit. Quod tempori congruebat, sensit et promovit, id nempe quod tunc « missio domestica » erat. Eam rem patres Hollandici iam agressi erant. Exercitia spiritualia popularia (Volksretraien, P. Rottier, C.SS.R., inde ab anno 1917) ad quae fideles regionatim in sacella propinqua invitabantur, in Germania mutata sunt in missiones populares proprie dictas (P. Otten, C.SS.R., inde ab anno 1924) et per P. Scherzl ad formam classicam missionum domesticarum elevata sunt. Cuius artis praecepta et usum in libro: *Compelle intrare* (Monachii, 1937) exposuit. Missionis domesticae studium praedilectum fuit.

cae praecipua laus est, quod aeram curae animarum investigantis ex artis praecptis inchoavit: *Si homines non amplius ad ecclesiam moventur, ecclesiae est obviando distantiam minuere.* Parochus et missionarii, fideles in earum domibus visitantes, ab hodierna cura animarum iam non tolli possunt. Contactus seu relationes magis personales inter ipsos sacerdotes et fideles hisce temporibus aliis mediis compensari nequeunt. Atvero uberrima ista Patris Scherzl cogitatio propter Nazismum et bellum exortum amplius evolvi non potuit.

Milieumission (Missio instituenda ratione habita integri ambitus domiciliorum et officinarum morumque plus minusve perditorum).

Bilio universalis secundo misere finito, magis quam umquam nova consilia capienda erant. P. Scherzl, cum iam ab anno 1933 consultor provincialis ad provinciam religiosam administrandam auctoritate multum valuisse et in conflictu cum Nazistarum regime eorumque artibus et astutiis sese sollertialem praestitisset, superior provincialis nominatus est (1946-1959). Pro suo studio agendi, pro suo ingenio res praecptis ordinandi, pro sua indole sese variis rerum conditionibus accommodandi necnon novis necessitatibus abortis occurrendi, numquam novis consiliis novisque conatibus destitutus erat. Omnia tamen finibus missionariis subdebat: Monachii domum provincialem cum ecclesia attigua ex ruinis aedificavit, domos missionarias in Germania superiore apte disposuit (nova collegia condidit in civitatibus Villingen, Würzburg, Riedlingen, Ingolstadt). Praecipue vero militiae religiosae incrementi curam habuit. Quaestio nis huius principalis bene sibi conscientius quinque seminaria minora instituit (Gars, Forchheim, Bickesheim, Riedlingen, Ingolstadt); insuper seminarium « sero vocatorum » (Gars). Cogitabat nempe: « Episcopi et parochi crescentibus studiis missionariis tantos labores flagitabunt, quantos patres nonnisi optime instructi praestare poterunt ». Quare episcopos rogavit, ut societatibus religiosis eorumque curis pro subole formanda aures preeberent. Quod et assecutus est.

Haec omnia nonnisi preeambula fuerunt ad finem principalem, Patri Scherzl diu persuasum erat: Missiones hisce temporibus iamnon institui posse eo modo, quo antecessores nostri optimi meriti eas tradidissent. Quare ipso bello flagrante indesinenter cum aliquot confratribus « novam missionem » moliebatur. Eam formam omnino necessariam esse intelligens, ipse a proprio opere discessit. « Missionem domesticam » solam non sufficere aiebat. Propter Nazismum et propter generalem progressum indifferentismi permulti homines Christo eiusque ecclesiae alienati erant, idque per multos annos. Tales infelices una alterave visitatione in singulis domibus peracta recuperari nequeunt. Aetas heroica, « Kairos » (*Kαιρός*) missionis domesticae tunc fuerat, cum prima generatio apostasiae silentis aperte a fide discessura erat. Hoc quidem meritum excellens

Patris Scherzl aliorumque virorum fuerat, quod ea quae illis rerum conditionibus postulabantur, cognoverant et effecerant. Visitatio pastoralis semper necessaria erit; sed aetate apostasiae universalis ex una parte et novi sensus communis ecclesiasticae ex altera parte, ad curam pastoralem singularum animarum cura ambitus socialis accedat oportet; cuius origo ab altari communi repetenda est, quaeque per praedicationem reformatam et per proxim confessionis, de caritate praecipue institutae, necnon per actionem missionariam in saeculum profanum, ecclesiae abalienatum, incursionem faciat.



P. Simon Scherzl (1896-1959)

Hisce deliberationibus occupatus, P. Provincialis Scherzl anno 1946 ad finem vergente a Patre Max. Kassiepe, O.M.I., rei missionariae expertissimo, in domum Fratrum Minorum in civitate Werl i. W. invitatus est ad primam magnam consultationem missionariorum de regionibus lingua germanica utentibus. Ista consultationes iamdiu ante bellum floruerant, sed tempore Nazismi suppressae erant. Tales conventus «Conferentia Missionaria» (Missionskonferenz, MK) nominabantur. Missionarii isti, a quibus successor Patris Kassiepe, diuturni praesidis, eligendus erat, in diversissimas opiniones abibant, donec P. Scherzl sermone de futura missionis forma in duas horas protracto eos ad unam sententiam rediget. Sermone illo auditio, P. Kassiepe, vir 83 annorum

novo studio accensus, exclamavit: « Nunc redeo ad adolescentiam! ». Postero die, 10 ian. 1947, P. Scherzl acclamatione universali novus praeses « MK » effectus est (1947-1959). Sic in Germania nova forma missionis regionalis, quae totum ambitum vitae morumque plus minusve perditorum spectabat (*Milieumission*) introduci coepta est, symptoma curae pastoralis funditus mutatae.

Paucis verbis ea complectentes quae postea acta sunt, dicimus: Notae regiminis conferentiae missionum (MK) per P. Scherzl duodecim illis annis sunt:

1) Sermones missionarios hodierna theologia inspiratos in formam melioram redigere studuit; auxilia petebantur ex periodico « Paulus » (Freiburg i. Br.), et annuis cursibus exercitatoriis.

2) Primum sacramenti paenitentiae item in formam meliorem redegit; hunc in finem P. Scherzl libellum *Missionsbeichte* (confessio tempore missionis peracta) edidit a. 1950, qui sub novo titulo *Selige Busse* (felix paenitentia) apud Auer, Donauwörth, novam editionem nactus est (150-180.000 exempl.), in quo novus aspectus sacramenti paenitentiae exhibetur; in eo nempe caritas proximi debito loco ponitur, non occultatur in quinto precepto (quae res Patri Scherzl cordi erat), in eo speculum conscientiae peccata nostrorum temporum iuxta vitae modernae conditions praebet atque paenitentia (felix paenitentia!) forma populari et practica hominibus manifestatur.

3) Missiones regionales introduxit, quae sunt cura animarum respiciens tum singulos homines tum totius vitae ipsorum conditions, quae eodem tempore et sub directione centrali in tota quadam regione instituuntur, adhibito clero parochiali et hominibus laicis in subsidium vocatis, qui per annos ante et post missionem ad spiritum missionarium et ad cellas in diversis vitae regionibus fundandas erudiantur.

4) Conferentiam missionariam (MK) in novam formam redegit (1956). P. Scherzl eam in varias regiones distribuit, quibus maiorem libertatem administrationis concessit, ut diversis rerum conditionibus facilius prospicerent.

5) Cum sectionibus pastoralibus dioecesanis (*Seelsorgeämter*) intimum connexum sustinere studuit. « Hisce tantum mediantibus missio regionalis et nova forma totius curae animarum in dioecesim evagatur ». Hoc sibi intime persuaserat, id opportune, importune affirmabat; et eventus veritatem comprobavit. Quare harum sectionum directoribus gratum semper servavit animum.

Ad finem usque vitae sollicite curavit, ne missio ista regionalis a propria forma degeneraret. Quam sollicitudinem verbis commoventibus expressit in litteris supremis ad conventum in urbe Würzburg habendum, quas morbo mortifero affectus scripsit. Quae litterae ut eius testamentum conferentiae missionariae conditum lectae sunt die 16 iun. 1959: « ...Missio popularis nostris temporibus iterum magni aestimatur. Quare fieri potest, ut nimia ab ea exspectentur, et

nimbus spem fallat ... Ne incipiamus res, de quibus iam ab initio timendum est, ut conservari possint, neve nimia postulemus a sacerdotibus aut laicis. Apostolatus vere activus in singulis magnis sedibus, apostolatus item vere activus in operariorum officinis et non ultimo loco innovatio vitae liturgicae iam plurimi aestimanda sunt ... Melius est dimidiā vel quintam partem missionum regionalium, de quibus iam cogitamus, instituere, quam missiones regionales ad prae-maturum exitum condemnare. Satis me defendere non possum a timore, ne maior pars missionariorum et parochorum magis fructum momentaneum missionis consideret quam fructum serius sed certo mārescentem ... Verbum ultimum ipsis missionariis dico: Periculum, ne variis operibus instantibus oppressi infructuosae operositati succumbamus, non est parvum. Et tamen missio popularis praecipue opus Dei est, non opus hominum. Vita interna, spiritus orationis et paenitentia, quidquid ingenua ascesis appellatur, numquam a nobis aliena fieri debet. Populum renovare nobis non obtinget, nisi ipsi antea vita religiosa confirmati fuerimus ».

Heidenmission (Cura pro missionibus apud infideles).

Anno 1953, quo Provincia Germaniae Superioris centenarium suae erectionis celebravit, P. Provincialis Scherzl grato animo erga Deum affectus, necnon Sanctae Sedis precibus motus, difficillimam missionem in insula Kiushiu (Iaponia) suscepit (ad hanc insulam S. Franciscus Xaverius olim appulerat), licet Provincia Monacensis missionibus patriis et expansione interna ad ultimum fere virum exhausta fuerit. Videbatur suam Provinciam quodammodo cogere ne umquam ad mediocritatem et otium deviaret, sed potius divinae providentiae confideret, quae per ultimos Summos Pontifices edixit: « *Quod fit pro missionibus inter infideles, non est perditum pro patria* ». Nostra aetate, cum extrema se tangunt, cum longissime remota brevissimo tempore adeuntur, caritas Christi coarctari non patitur. Recens missio Iaponica a catholicis hominibus archidioecesis Monacensis, praeprimis ab adolescentibus adiuta, vix ubi missionarii linguam addidicerunt, effloruit (5 domus et complures stationes externae). Amore paterno erga novam coloniam P. Scherzl adeo affiebatur, ut per menses inter vitam et mortem luctatus, versus finem a. 1958 ad visitationem canoniam proficiseretur. Feliciter reversum, paucis mensibus post, mors ad ultimum certamen provocavit, quod in longum pertractum est. Onus superioris Provinciae mense aprilii a. 1959 ab eo sublatum est, non vero onus, voluntatem apostolice laborandi divinae voluntati orationibus ac meditationibus subigendi. Sacrificium vitae Deus 3 nov. 1959 petiit. Ingressus est novum apostolatum, in Christum, « semper viventem ad interpellandum pro nobis » (Hebr. 7, 25).